maledicunt & amara loquuntur. Hæ ſunt enim artes peſſimorum hominum, vt aliis adulentur, aliis maledicant: & aliis blandiantur, aliis amara loquantur. Nec dicuntur habere maledictionem & amaritudinem in ore, ſed os eorum plenum eſſe fertur maledictione & amaritudine, vt abundantia maledictionis & amaritudinis in ore ipſorum monſtretur eſſe. [Pedes] quoq; [eorum ſunt veloces ad effundendum ſanguinem] quia cito currunt ad perpetrandum homicidium. Vel pedes, id eſt, affectus, eorum ſunt veloces, id eſt parati & feſtini ad effundendum ſanguinem, quia ex deliberatione faciunt homicidia. [Contritio & infelicitas eſt in viis eorum] quia tam ipſi quàm omnes qui in viis actionum ipſorum ambulant, conterentur gehennalibus ſuppliciis, & felicitate carebunt æternæ beatitudinis. Et hoc ideo, quia [Non cognouerunt viam pacis] id eſt, viam iuſtæ actionis, qua peruenirent ad quietem perpetuæ pacis. Nec mirum, ſi neſcierunt viam qua tenderent ad æternam pacem; quia [Timor dei] qui eſt initium ſapientiæ, [Non eſt ante oculos] cordis [eorum.] Nam quia initium ſapientię abiecerũt, ad prouectum ſapientiæ nequaquam peruenerũt. Sicque ſuperbia qua timorem Dei ab intuitu ſuæ mentis remouerunt, fecit vt viam pacis ignorarent, & viam mortis ambularent. Hæc de prauitatibus infidelium Iudæorum atque gentilium, authoritate prophetica locutus eſt Apoſtolus, vt maxime Iudæos, qui de legis operibus gloriabãtur, conuinceret multis peccatis irretitos fuiſſe. Non autem putandum eſt, eum ex ſolo tertiodecimo Pſalmo iſta poſuiſſe, neque etiam habentur in Hebræo ſimul ita per ordinem, ſed potius ex diuerſis Pſalmis, & ex libro Iſaiæ coniunxiſſe. Nã quod ait, Quia non eſt iuſtus quiſquam, non eſt intelligens, non eſt requirens Deum, omnes declinauerunt, ſimul inutiles facti ſunt, non eſt qui faciat bonum, non eſt vſque ad vnum, ex tertiodecimo Pſalmo ſumpſit. Quod autem ſubiecit, Sepulchrum patens eſt guttur eorum, linguis ſuis doloſe agebant, in quinto Pſalmo legitur. Quódque mox addidit, Venenũ aſpidum ſub labiis eorum, centeſimi triceſimi noni Pſalmi eſt. Rurſumque quod ait, Quorum os maledictione & amaritudine plenũ eſt, de nono Pſalmo ſumptum eſt, vbi ſingulariter dicitur: Cuius maledictione os plenum eſt & amaritudine. Quod autem ſequitur, Veloces pedes eorum ad effundendum ſanguinem, contritio & infelicitas in viis eorum, & viam pacis non cognouerunt, in Iſaia reperitur. Et iterum quod in fine dicitur, non eſt timor Dei ante oculos eorũ, in triceſimiquinti Pſalmi principio ſic eſt: dixit iniuſtus vt delinquat in ſemetipſo, non eſt timor Dei ante oculos eius. Nec in hoc cuiquam videatur eſſe diuerſum, ſi quod in ſuis locis numero dicitur ſingulari, ab Apoſtolo pluraliter ponitur, qui ſcribebat ad plurimos, & in vnum ſenſum multa colligebat exempla. Patet itaque non tam Apoſtolum de Pſalmo tertiodecimo ſumpſiſſe, quod in Hebraico non habetur, nec in Septuaginta interpretibus, ſed in editione vulgata, quàm eos, qui artem cõtexendarum inter ſe ſcripturarum Apoſtoli neſciebant, quæſiſſe aptum locum, vbi aſſumptum ab eo ponerent teſtimonium, quod abſque authoritate ſcripturæ poſitum in epiſtola non putabant.

Eccle. 1.

Scimus autem quoniam quæcunque lex loquitur, his qui in lege ſunt loquitur, vt omne os obſtruatur, & ſubditus fiat omnis mundus deo, quia ex operibus legis non iuſtificabitur omnis caro coram illo. Per legem enim cognitio peccati, nunc autem ſine lege iuſtitia dei manifeſtata eſt, teſtificata à lege & prophetis. Iuſtitia autem dei per fidẽ Ieſu Chriſti in omnes & ſuper omnes, qui credunt in eum.

Ne dicerent Iudæi, hæc quæ protuliſti, nõ ſunt dicta de nobis, ſed de gentibus, oſtendit Apoſtolus quia quæ in lege dicta ſunt, his qui ſub lege tenentur, dicta ſunt. Legem appellat hoc loco librum Pſalmorum, ſicut & dominus, vbi ait: Nónne ſcriptũ eſt in lege veſtra, quia ego dixi, dij eſtis? Vel totum vetus teſtamentum appellauit nunc legem. Quaſi diceret: Vos quidem ad alios vultis hęc detorquere, [Sed nos ſcimus quia] non ſolum iſta, ſed etiam [OMNIA quæcunque lex loquitur, his qui in lege ſunt loquitur] id eſt, Iudæis, ſiue bona, ſiue mala. Quamuis ergo & in gentibus omnia mala hæc eſſent, quæ nunc Apoſtolus propheticis verbis deſcripſit, de Iudæis tamen proprie dicta ſunt omnia: quia non neceſſe erat ſcelera gentium, de quibus nemo dubitabat, propheticis teſtimoniis aſtruere, ſed potius Iudæorum, qui de tranſactis operibus iuſtitiæ gloriari volebant. [Quæcunque lex loquitur, his qui in lege ſunt loquitur] quoniã omne quod in lege de gentibus dicitur, etiam ipſum hoc de Iudæis dicitur, quia ipſorum principalis eſt cauſa. Omnia quæ lex loquitur, etiam dum peſſima flagitia deſcribit, loquitur ſine dubio, [His qui ſunt in lege] poſiti, & ad ipſos pertinet quicquid lex dicit, ita [vt omne os] non ſolum gentium, ſed etiam Iudæorum, [Obſtruatur] id eſt, obmuteſcat, dum non habent vnde glorientur, ſed omnes ſub peccato eſſe monſtrantur. Vel ideo loquitur lex omnia his qui in lege ſunt, vt [Omne os] etiã Iudæorum [obſtruatur, non inueniens quid de meritis ſuis iactet, cum lex dicat: Omnes declinauerũt, ſimul inutiles facti ſunt. [Et vt ſubdit] fiat omnis mũdus Deo] vt ſciat ſe ſine gratia Dei ſaluũ eſſe

Pſalm. 81. Ioan. 11.